

suis debitis levare debebit nostri nomine, iidem fratres coniunctim et divisim cum suis heredibus se plenius et totaliter intromittant tenendum habendum cum suis iuribus utilitatibus seu emolumentis usque ad percepcionem totalem pecunie antedictae et eciam possidendum promittentes sincere ipsos in possessione et questu et censu dictorum urbo et macellorum, nisi prius suam resumant pecuniam, nullatenus impedire nec ipsos per quemcumque alium permittere impediri et mandamus universis officialibus etc. Datum Prage in vigilia sancti Viti martiris anno domini M^oCCC^oXLV. Nos itaque prefati Peschlini Roczaneri ac fratrum suorum grata et multiplicia servicia per eos nobis sollicite exhibita hactenus et exhibenda in posterum interna meditatione pensantes ipsorumque supplicationibus benignius inclinati prefatas litteras et omnia contenta in ipsis prout superius est expressum de liberalitate regia et certa nostra scientia innovamus ratificamus et approbamus et presentis scripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo etc. Datum Prage anno domini M^oCCC^oXLVIII^o, ydus aprilis, regnorum nostrorum anno secundo.

Nr. 16, 1348 April 7.

Nicolaus Longus.

Karolus etc. quod nos pro parte discreti viri Nycolai Longi civis Glacensis fidelis nostri dilecti nuper maiestati nostre oblata supplicatio continebat, quatenus eidem quasdam litteras clare memorie illustris Iohannis quondam Boemie regis genitoris nostri karissimi approbare ratificare et confirmare de benignitate regia dignaremur, inter quas prime littere tenor erat iste: Nos Iohannes dei gratia Boemie rex et Lucemburgensis comes notum facimus universis, quod considerantes fidelia obsequia, quibus nobis dilectus fidelis noster Nycolaus Longus civis in Glacz complacuerit plurimum et complacere poterit in futuro, molendinum, quod Walchmul dicitur vulgariter, cum molendino in Glacz in vado, qui Neza dicitur, contiguum sibi et heredibus ac successoribus suis universis iure hereditario possidendam conferimus et donamus dantes Nycolao eidem ac heredibus suis utriusque sexus ac successoribus universis dictum molendinum de regie liberalitatis munificentia vendendi permutandi alienandi ac eciam in quoscumque usus convertendi plenam et liberam facultatem. In cuius rei etc. Datum Prage anno domini M^oCCC^oXXVII^o VIII^o ydus martii. Secunde vero littere tenor talis erat: Nos Iohannes etc. quod attendentes fidelis nostri obsequia